SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

CONTINENS

QUAESTIONES ANACHARSIDEAS.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

CONTINENS

QUAESTIONES ANACHARSIDEAS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOANNIS MATTHIAE SCHRANT,

PHILOS. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

FRANCISCUS IOANNES PETRUS TOLLENS,
JUR. UTR. DOCTOR.
ROTERODAMENSIS.

AD DIEM VII MARTII MDCCCXLIII, HORA I—II.



LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD C. G. MENZEL.
MDCCCXLIII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.



Veterum literarum elementis quum ab ineunte aetate imbui mihi contigisset, tum demum earumdem studio vere delectari coepi, quum eam disciplinam in Academia Lugduno-Batava a clarissimis doctoribus explicari audirem. Mox ad iurisprudentiam delatus, cuius studiis destinatus eram, aliquantisper illas litteras dimittere debui, duplici quippe negotio impar. Isti officio quum satisfecissem recepi me ad literas; in quibus quid profecerim, hoc specimine edito praeceptoribus dilectissimis probare volui. Quantillum sit hoc specimen, nemo me ipso melius novit: sed praeterquam quod maiora perficere mea me te-

nuitas vetabat, rerum mearum rationes iubebant ut intra breve temporis spatium quod elaborare possem sumerem argumentum. Hinc natae sunt hae Quaestiones, quibus non tam ipsius Anacharsidis res illustrare propositum erat, quam eorum veterum scriptorum locos nonnullos explorare, qui de Anacharside tradiderunt. Quae opella si doctis intelligentibusque non omnino displicebunt, vehementer gloriabor.

QUAESTIONES ANACHARSIDEAE.



I.

HERODOTUS.



Scytharum fines non tantum non incognitos fuisse Graecis, sed etiam coloniis, per Milesios, frequentatos, tum Olbiae (1) et Panticapaeae (2) ea fuisse emporia, in quibus insignis frumentaria

(1) Sive Miletopolis, etiam ipsa Borysthenes dicta. Strabo VII, p. 470. A. Cf. Herod. IV. 18. Plinius Hist. Nat. IV, Cap. 26. Dio Chrysost. orat. XXXVI.

(2) Strabo VII, p. 475. Cf. Heyne: rerum Chersonesi Tauricae memoria breviter exposita in Opusc. Acad. tom. III, p. 384—397.

mercatura exerceretur, per quam Graecis multae rationes cum Scythis contraherentur, abunde constat. Tamen Herodotus demonstrat Scythas quum omnia peregrina instituta aspernatos esse, tum maxime Graecorum, reique documentum exhibet tum Anacharsidis historiam, tum Scylae. Ipsa verba, quibus hoc enunciat Lib. IV. Cap. 76, minime tritam habent compositionem. *Ξεινικοῖσι δὲ νομαίοισι καὶ οὗτοι αἰνῶς χρᾶσθαι φεύγουσι, μή τοί γε ὦν ἄλλων, Ἑλληνικοῖσι δὲ καὶ ἥκιστα, ὡς διέδεξαν Ἀναχάρσι τε καὶ δεύτερα αὖτις Σκύλῃ·* Scilicet, quis non post verba *αἰνῶς χρᾶσθαι φεύγουσι* expectasset *Ἑλληνικοῖσι δε οὐκ ἥκιστα*? Sed defenditur Herodotea compositio eo, quod *ἥκιστα* cogitando refertur ad primariam in praecedentibus notionem (*χρᾶσθαι*), cuius verba *αἰνῶς φεύγουσι* non nisi negationem efficiunt, sed efficaciorem: igitur tanquam si praecederet *οὐ χρῶνται*, sequitur *καὶ ἥκιστα*. Atque haec interpretandi ratio eo quoque commendatur, quod altera negatio praecedit, *μή τοί γε ὦν ἄλλων*, i. e. *non profecto*

(sc. utuntur institutis) *aliorum certe, sed Graecis vel minime.* Quapropter recte neglecta est altera lectio μή τι γε· nec dubitare oportebat Schweigheauserum quid inter utramque formulam interesset, quamquam peritissimus Graeci sermonis, Reizius ad Vigerum p. 773. dubitasse videtur. Vix enim dubium esse puto quin μή τι γε significet *nedum, ne dicam,* sequente ἀλλά. Sed adversaretur hoc sententiae huius loci: efficeretur enim quasi Herodotus hoc vellet: *peregrinis institutis Scythae non utuntur non dicam aliorum, sed Graecorum:* quasi per se hoc de aliis, minus de Graecis credibile fuisset.

Quae nunc recepta sunt, Ἀναχάρσι et Σκύλῃ, ea iam Wesselingii corrrectio fuit, quum legeretur Ἀνάχαρσις et Σκύλης.

Sed operae pretium est ipsam de Anacharside narrationem diligentius spectare. De cuius loci initio (τοῦτο μὲν γὰρ Ἀνάχαρσις) recte annotavit Wesselingius, desiderari τοῦτο δέ, quod isti respondeat: sed non negligendum erat hoc alterum alia forma prioribus illis opponi, Cap. 78

initio, verbis, *πολλοῖσι δὲ κάρτα ἔτεσιν ὕστερον Σκύλης κ. τ. λ.* Sed ipsa haec prior narratio per Herodoteas ambages tracta, ex anacoluthia explicanda est. Primum enim, post protasin, quae continetur verbis *ἐπεί τε* usque ad *ἐκομίζετο ἐς ἤθεα τὰ Σκυθέων*, nulla videtur sequi apodosis. Sed loco accuratius inspecto sequentia, *πλέων δέ* usque ad *παννυχίδα στήσειν*, digressionem aut parenthesin continent; et instauratur protasis his verbis quae subiiciuntur, *ὡς δὲ ἀπίκετο* —, sequente apodosi. Et sane corrigenda fuisset interpunctio, quo hoc facile legentibus appareret.

Nihil magis Herodoteum est quam istud *ἐπεί τε* pro simplici *ἐπεὶ* aut *ἐπειδή*. Sed aliquoties credo restituendum, ubi nunc obliteratum est: v. c. lib. I. cap. 116, legendum erit *ἐπεί τε δὲ ὑπελέλειπτο ὁ βουκόλος μοῦνος.* Iterum lib. IX, cap. 117. init. Atque ita perpetuo suspicor scribendum esse ubi *postquam*, *ἐξ οὗ*, significat.

Statim quod sequitur, *ἀποδεξάμενος — σοφίην πολλήν*, vix probari posse mihi videtur. Defen-

dit quidem Wesselingius istud *ἀποδεξάμενος*, ita ut dicat: »Anacharsin in Graecia plura pruden tis viri argumenta et rerum inventarum ostentasse:" sed tum exemplum quod ex Platonis Hipparcho p. 228. B. attulit (*καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο*) tum omnia, quae colligi possunt, Herodotea exempla demonstrant nonnisi de factis et operibus verbum illud usurpari: minimeque confundenda cum illis est tritissima loquendi forma *γνώμην ἀποδέξασθαι.* Qua propter corrigendum esse suspicor *ἐπιδεξάμενος:* hoc enim verbum de mera ostentatione dicitur; illud sine eventus aut effectus cogitatione dici non solet. Permutari autem ista in codicibus inter se, argumento est varietas in lib. VII. 223 fin. ubi olim edebatur *ἀπεδείκνυντο ῥώμης ὅσον εἶχον μέγιστον*, nunc ex tribus codicibus *ἐπεδείκνυντο.* Alterum si voluisset, dixisset: *ῥώμης ἔργα.*

Quae isti narrationi subiiciuntur de genere Anacharsidis, ea levi vitio laborare mihi videntur. Sicut enim nunc ista leguntur, *ὡς δ' ἐγὼ ἤκουσα Τίμνεω τοῦ Ἀριαπείθεος ἐπιτρόπου*, hoc

dicit Herodotus, *se audivisse a tutore Ariapithis*. Sed primum nusquam eiusmodi rei auctorem nominatim memorat (cf. cap. 14 et 77 init. lib. IV) deinde, non certo et designato auctore ea res indigebat, quae sine dubio, nisi omnibus, certe permultis per Scythiae oras, quas lustravit Herodotus, cognita fuit: tum dubitari potest an ita ad regiam Scytharum familiam penetrare potuerit Herodotus, ut aliquam cum regii pueri tutore consuetudinem haberet: postremo pugnant quodammodo temporum rationes. Nam, si Herodotus ea refert quae Scylae acciderunt (quam diu ante se, nunc definiri non potest) et si Scyles fuit Ariapithis filius, qui ipse ante filium regnum tenuit, nimis remota sit oportet huius Ariapithis aetas puerilis a temporibus Herodoti, quam ut hic quidquam ex eius tutore audire potuerit. Hae rationes mihi persuaserunt melius ex uno codice legi *ἐπίτροπον εἶναι αὐτὸν, Ἰδανθύρσου κ. τ. λ.* Quod si probatur, fuit Anacharsis Timnae Ariapithis filii tutor: nam Ariapithi Scytharum regi, praeter Scylam et Octa-

masaden, plures liberi fuerunt. Cf. cap. 78 et 79: itaque tantum aetate maior fuit Scyla (cuius fatum *πολλοῖσι κάρτα ἔτεσι* post Anacharsidis mortem accidit) quantum parentis aetas liberorum aetatem praecedere solet. Neque *ἐπίτροπον* tutorem potius quam praeceptorem fuisse suspicor.

Memoriter, ut videtur, Herodotum sequitur Clemens Alexandrinus (Vid. Protrept. p. 20) *πολλὰ ἀγαθὰ γένοιτο τῷ τῶν Σκυθῶν βασιλεῖ, ὅστις ποτε ἦν Ἀνάχαρσις· οὗτος τὸν πολίτην τὸν ἑαυτοῦ τὴν παρὰ Κυζικηνοῖς μητρὸς τῶν θεῶν τελέτην ἀπομιμούμενον παρὰ Σκυθαῖς — κατετόξευεν.* Quem locum parum concinne corrigebat Berglerus ita, *πολλά ἀγαθά γένοιτο τῷ τῶν Σκυθῶν βασιλεῖ, ὅστις ποτε ἦν. Ἀνάχαρσιν οὗτος, τὸν πολίτην τὸν ἑαυτοῦ κ. τ. λ.* Atqui Clemens neutrius nomen posuit neque Saulii neque Anacharsidis: quumque ad marginem huius nomen appositum esset, temere ex alieno loco inmissum in textum est. Delendum est.

II.

DIOGENES LAERTIUS.



Hunc quum in reliquis omnibus aliorum niti auctoritate constet, tum operae pretium est videre quos in Anacharsidis rebus sequatur scriptores. Diserte primum memorat ipse *Sosicratem* et *Hermippum*. Horum postremus notissimus est, et crebro ab ipso Diogene citatur. Tanto rarius memoratur Sosicrates, cuius tamen *Διανομὰς* aliquoties citat ipse Diogenes, (conf. Jonsius. Script. Hist. Phil. lib. IV. in fine). Huius nomen quum facile permutaretur a librariis cum *Socrate*

sicut semel apud Athenaeum in Var. Lect. IV. p. 163 F, decipi se passus est Vossius hist. Graec. p. 414, quod notavit iam Fabricius Biblioth. Graec. I. p. 827: nec mirer si unus e pluribus Socratis homonymis apud Diogenem Laertium II. 47, ex illa nominum permutatione ortus sit. Hunc autem Sosicratem nemo indicavit ubi natus esset, aut qui fuisset: credibile est fuisse peripateticum, aut certe ex illo genere hominum in omni historia curiosorum: temereque, puto, confunderetur cum Sosicrate rhetore aut oratore, de quo Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 32. Nostri Sosicratis *τὰ κρητικά*, praeter Athenaeum citat etiam Suidas voc. *Δούλων πόλις*.

Minus etiam cognitus est *Theoxenus*: nec praeter Lucianum (1), qui eum *ἱστοροῦντα* de Anacharside commemorat in Scytha cap. 8 in fine, quemquam alium scriptorem nominat Jonsius

---

(1) Verba Luciani haec: *ἐμυήθη μόνος βαρβάρων δημοποίητος γενόμενος, εἰ χρὴ Θεοξένῳ πιστεύειν*, quae tamen fides habenda sit Luciano novimus.

script. Hist. phil. p. 77. Praeterea nullum deprehendi qui nominatim in Anacharsidis rebus citaretur. Itaque nunc operae pretium est quaedam eorum considerare quae tradit Diogenes.

Statim quod tradit Diogenes § 101, Anacharsin *ποιῆσαι τῶν τε παρὰ τοῖς Σκυθαῖς νομίμων, καὶ τῶν παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, εἰς εὐτέλειαν βίου καὶ τὰ κατὰ τὸν πόλεμον, ἔπη ὀκτακόσια versus octingentos* (quod repetit Suidas) difficile est credere, nisi forte intelligendum sit de epistolis (1), quae eius nomine ferebantur.

---

(1) Quarum Epistolarum, quae aperte sunt suppositiae sequentes prostant editiones:

I°. Anacharsidis Epistolae IX. Graec. In Aldi Manutii collectione epistolarum graecarum anno 1499.

II°. Anacharsidis Epistolae Graece et Latine separatim editae Parisiis apud Guiliel. Morellium 1552.

III°. Anacharsidis Epistolae Graece et Latine Parisiis apud Petrum Pautonnier Guil. Morellii heredem e regione collegii Rhemensis 1581.

IV°. Anacharsidis Epist. Graece et Latine. Inter epistolas graecas edit. per Eilh. Lubinum 1601 8°,

V°. Anacharsidis epist. inter epistolas Graecanicas mutuas. Aurel. Allobrog. 1606.

Solonis responsum, quum Anacharsis ei nunciasset *ὅτι βούλοιτο αὐτὸν θεάσασθαι, ξένος τε, εἰ οἷόν τε, γενέσθαι*, hoc memoratur a Diogene § 101, *ὅτι περ ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσι ξένους ποιοῦνται.*

Neque eleganter hoc dictum est neque accuratam certamque enunciationem continet. Qui enim sunt qui *ποιοῦνται?* In quo, etiamsi *homines* cogites, tamen admodum vaga sententia erit. Conieci legi posse *ὅτι παρῆν ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσι ξένους ποιεῖσθαι* i. e. *licere* (ei nempe Anacharsidi) *in sua patria hospites conciliare.*

Paululum sane diversa sunt ab Herodoteis, quae deinde tradit Diogenes de genere mortis quo periit Anacharsis dicens: eum *τοξευθέντα ἐν κυνηγεσίῳ πρὸς τοῦ ἀδελφοῦ τελευτᾶν*· sed leve ut suspicor, vitium remansit in iis quae praecedunt, ubi de ipso Anacharside haec dicuntur: *παραγενόμενος εἰς τὴν Σκυθίαν, καὶ νομίζων τὰ νόμιμα παραλύειν τῆς πατρίδος, πολὺς ὢν ἐν τῷ ἑλληνίζειν.* Sana igitur sententia postulare mihi videtur ut legatur *νομιζόμενος quum exis-*

timaretur evertere (velle) *patria instituta*, ideo quod multum Graecorum institutis deditus erat. Idem aliis verbis enunciaverat Josephus Antiquit. Jud., cuius verba apposuit Casaubonus ad ea quae sequuntur, sed ipsa quoque leviter corrigenda. Quod enim Diogenes dixerat de Anacharside, *ἑλληνίζειν*, pro eo Josephus, ut nunc legitur, scripsit eum interfectum esse *ἐπεὶ τῶν Ἑλληνικῶν θεῶν ἔδοξεν ἥκειν ἀνάπλεως*. Atqui *deo plenum esse* Graeci dixerunt non *diis plenum*: tum longe diversum istud haberet sententia, ab eo quod nunc postulatur. Levissima litterarum transpositione legendum est *Ἑλληνικῶν ἐθῶν*. Atque sic, quum locum in Hudsoni editione quaereremus, deprehendimus in ea expressum esse, perperamque citari a Casaubono ex Antiq. Jud. II quum sit contra Apionem II cap. 37.

Τελετὰς ἑλληνικὰς διατελοῦντα, quod statim subiicit Diogenes, necessario, suadente quoque H. Stephano, mutandum est in *ἐπιτελοῦντα*, prostantque huius locutionis exempla.

Anacharsidis acute dicta certatim laudasse vi-

dentur *Βίων* scriptores, tum qui inde apophthegmata colligere coeperunt, quales collectiones tum aliae hodie supersunt partim in bibliothecis latentes, tum notissima est Stobaei. Horum dictorum permulta exhibet Diogenes Laertius, sed in quibusdam referendis ita versatur, ut vel omnino sententiam vel certe sanam sententiam requiras. Exemplo sit id, quod de vite dixisse dicitur Anacharsis § 103: *τὴν ἄμπελον ειπε τρεῖς φέρειν βότρυς, τὸν πρῶτον ἡδονῆς, τὸν δεύτερον μέθης, τὸν τρίτον ἀηδίας.* Defendi posse video, si ex vino *taedium ἀηδίαν* postremo oriri dicitur: sed neque proprie hoc in vino dicitur, neque hoc mihi voluisse Anacharsis videtur. Quanto melius in alio dicto, similis generis, quod Anacharsidi tribuitur apud Stobaeum XVIII 26, craterem primum *ὑγιείας πίνεσθαι*, secundum *ἡδονῆς*, tertium *ὕβρεως*, postremum *μανίας*. Mihi certe vocabulum *ἀηδίας* corruptum ex alio videtur, sed quod coniectura assequi nequeo. Defendant tamen qui volunt. Sed cum illo dicto non ineptum est conferre aliud quod

apud Diogenem memoratur § 105. *ὑπὸ μειρακίου παρὰ πότον ὑβρισθεὶς, ἔφη, μειράκιον ἐὰν νέος ὢν τὸν οἶνον οὐ φέρῃς, γέρων γενόμενος ὕδωρ οἴσεις.* Pudet fere Latine interpretari, tam languida et incondita sententia est: *Si juvenis vinum non fers senex factus aquam feres* (1).

---

(1) Reliqua Anacharsidis dicta quod ad vinum et temulentiam haec feruntur: Rogatus quomodo quis vini abstemius fiat? Si turpes inquit inebriatorum habitus motusque ante oculos habeat. Se mirari aliquando dixit quod Graeci initio convivii parvis poculis uterentur, ubi vero saturati essent maioribus, respiciens propinandi morem qui apud Graecos, exeptis Lacedaemoniis obtinuit, maioribusque fiebat poculis. Quum ex eo quaereretur an in Scythia essent tibiae? *ne vites quidem* respondit, regique Scytharum vi vitis eiusque sarmentis ostensis, addidit: *nisi quotannis amputarent Graeci vitem iam ad Scythas pervenisset.* Cf. Aristot. Analyticorum poster. I. 12, 11. Plut. VII. Sap. conv. p. 150. D. Diog. Laert. I. n. 104. Athenaeus X. 128. D. E. Illa quae de Scythis veteres referunt (Herodotus v. c. lib. VI. cap. 84 itidemque Anacreon qui *Σκυθικὴν πόσιν* memorat. Od. *IV*. vs. 9) quomodo cum hisce Anacharsidis dictis componantur, equidem non perspicio, inde tamen consequi ut quemadmodum haec, sic

Non male quidem Menagius ad postrema *ὕδωρ οἴσεις* »accipio, inquit, de aqua intercute.” Sed quid est illud, *Si vinum non fers?* Neque enim ille morbus ex eo oriebatur, quod quis vinum ferre non posset, sed ex eo quod nimium biberet, etiamsi inde nulla ebrietas sequeretur. Defendet quis Diogenem monens, ut *τὸν οἶνον* et *ὕδωρ*, ita *οὐ φέρῃς* et *οἴσεις* inter se opponi in eoque dicti elegantiam cerni. Agnosco: sed nullam intelligo elegantiam, in qua sententia nulla appareat. De ipsa quoque loquendi forma *ὕδωρ φέρειν* dubitare licet: neque enim *ὕδωρ* pro aqua intercute dici memini, et edoceri cupio an, si diceretur, *ὕδωρ φέρειν* aut propria aut vera enunciandi ratio esset in illo morbo. Dicere potuisset *ὑδρωπιάσεις*. Si tamen illud

---

tot alia, quae ab Anacharside apte acute aut facete dicta circumferantur, magnam saltem partem pro non vere ab eo profectis haberi possint, id affirmare nullus dubito. Cf. quoque Aelianus Var. hist. II. cap. 41 et Plato Leg. I. p. 570. D. Scythis etiam *ἀκρητοποσίας* crimen obiicientes.

ὕδωρ οἴσεις, eaque significatio probanda est, in praecedentibus suspicor hoc voluisse Anacharsidem, ἐὰν νέος ὢν οἶνον ῥοφῇς: in qua coniectura hoc inest, ut tum articulus τὸν, tum negatio οὐ abiiciatur, verbum autem ipsum transpositione mutetur.

Similis observatio sententiae certe obscurae valet in alio dicto apud Diogenem § 104 in fine ἐρωτηθεὶς πότεροι πλείους εἰσιν, οἱ ζῶντες, ἢ οἱ νεκροὶ; ἔφη τοὺς οὖν πλεόντας ποῦ τίθης. Posteriora verba τοὺς οὖν πλέοντας fateor me quidem non intelligere. Casaubonus annotat: »Eleganter dubitat inter mortuos an inter vivos sint ponendi ii qui navigant, nam ut in alio dicto, quum didicisset quatuor digitorum esse navis crassitudinem, iam dixerat idem, tantum illi (navigantes scilicet) a morte absunt ὅσον ἐστι τὸ πάχος τῆς νεώς.'' At quid istic loci *navigantes* faciunt? Si vel sumimus, quod sumere non facile cuiquam in mentem veniet, Anacharsidem eidem huic, qui nunc rogabat πότεροι πλείους εἰσιν οἱ ζῶντες, ἢ οἱ νεκροί, iam antea dixisse

navigantes tantum a morte abesse, quanta navis sit crassitudo, quid quaeso in hac quaestione navigantes ad rhombum? In Anacharsidis dictis semper quodammodo rem acu tangi sentimus, sed responsi *τοὺς οὖν πλέοντας ποῦ τίθης* acumen antequam perspexeris, nisi saeculum certe annus erit. Sensit haec ipse vir egregius ut satis probant quae sequuntur: »Mihi tamen aliquando venit in mentem legi posse *πλείονας*, quam lectionem si quis probaverit, habebit sensum non paullo venustiorem. Nam quum Graecis *οἱ πλείονες* sint mortui, qui potuit concinnius responderi interroganti, utri plures essent, mortui an vivi? et lapsus facilis fuit ut ex *πλείονας* efficerent *πλέοντας*: adde quod potuit ignorata haec istius vocis significatio loco corrumpendo fuisse. Sic autem saepe Graeci" etc. Sequuntur loci quibus ostendit *πλείονας* interdum eximie dici de mortuis. Esto, pro *πλέοντας* substituamus *πλείονας*; sed quis tunc erit sensus ille non paullo venustior? Quaeritur ex Anacharside utri sint plures, vivi an mortui: respondet

ipse quaerendo: ubi ponis illos, qui plures sunt, sive quod eodem redit, ubi ponis mortuos; quod si alter intellexit, me et aliis, fortasse multis, haud paulo fuerit perspicacior necesse est.

Temerarium fortasse est, me post Casaubonum, talem tantumque virum, aliquid velle mutare, praesertim meae mihi tenuitatis conscium: attamen quae in mentem mihi venere, supprimenda non duxi, peritiorum iudicium exspectans, melioribus ultro ac lubenter mea postpositurus.

Apud veteres multos fuisse qui cum corporibus simul animos interire atque omnia morte deleri statuerint, cum aliunde tum ex Platonis libris, praesertim Phaedone novimus(1). Id ipsum etiam in Anacharsidis dicto deprehendere mihi videor. Utri sunt plures, ex eo quaeritur, vivi an mortui: respondet in hunc sensum, ut significet se admodum dubitare, num de mortuis ita loqui possimus, quasi adhuc sint, atque adeo

---

(1) Cf. Cic. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 5. seq. et Cato cap. 4.

vitam quandam vivant; quod faciens non sine quodam acumine quaestionem ineptam esse indicat, utpote quae et mortuis et vivis existentiam tribuat, quam de his tantum accipere possumus. Quae quum ita sint, legendum censeo: *τοὺς οὐκέτι ὄντας ποῦ τίθης;* quo loco ponis eos qui non sunt: id est, quid! rogasne quinam plures sint, illi qui sunt, an illi qui non sunt.

Sentio equidem dictum sic fieri argutius quam quod in illa tempore cadat, quibus istiusmodi subtilissimis distinctionibus ac sophismatis nondum sua erat vis suusque honor: sed si omnia quae exigua sane de Anacharside traduntur ad vivum resecare vellemus, aut nihil aut paucissima tantum restarent quae Scytha philosophus omni dubia maiora sibi posset vindicare.



III.

PLUTARCHUS.



Apud Plutarchum de profect. in virt. cap. 7. p. 78. elegans locus est de iis qui philosophiae studia ingrediuntur. His, inquit, haud exiguum indicium et argumentum est, eos profecisse in philosophia, *ἡ περὶ τοὺς λόγους μεταβολή*, mutatio in delectu eorum quae disceptantur. *Πάντες γὰρ, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, οἱ ἀρχόμενοι φιλοσοφεῖν τοὺς πρὸς δόξαν διώκουσι μᾶλλον· οἱ μὲν, ὥσπερ ὄρνιθες, ἐπὶ τὴν λαμπρότητα τῶν φυσικῶν καὶ τὸ ὕψος ὑπὸ κουφότητος καὶ φιλο-*

τιμιας καταίροντες· οἱ δ᾽ ὥσπερ τὰ σκυλάκια, φησὶν ὁ Πλάτων, τῷ ἕλκειν καὶ σπαράττειν χαίροντες, ἐπὶ τὰς ἔριδας καὶ τὰς ἀπορίας καὶ τὰ σοφίσματα χωροῦσιν, οἱ δὲ πλεῖστοι τοῖς διαλεκτικοῖς ἐνδύντες εὐθὺς ἐπισιτίζονται πρὸς σοφιστείαν· ἔνιοι δὲ καὶ χρείας καὶ ἱστορίας ἀναλεγόμενοι, περιΐασιν, ὥσπερ Ἀνάχαρσις ἔλεγε τῷ νομίσματι πρὸς οὐδὲν ἕτερον ἢ τὸ ἀριθμεῖν χρωμένους ὁρᾷν τοὺς Ἕλληνας, οὕτω τοὺς λόγους παραριθμοῦντες καὶ παραμετροῦντες ἄλλο δ᾽ οὐδὲν εἰς ὄνησιν ἀπ᾽ αὐτῶν τιθέμενοι. Quod dictum vereor ut recte ceperit Athenaeus IV. p. 159. C. qui eo Graecorum *φιλοχρηματίαν* significari ab Anacharside putat.

Nihil aliud mihi voluisse videtur Anacharsis nisi hoc, vanam et nullius pretii apud Graecos esse nummorum possessionem si quidem iis nihil aliud uterentur nisi numerarent. Simplicitatem hoc dictum declarat Anacharsidis, qui nesciret nullum omnino nummorum esse usum, nisi ut in emptionibus et venditionibus numerarentur, in eoque praestantiam istius inventi cerni, quod cuius-

que rei pretium ita certis numerorum rationibus cerni enunciarique posset: sed apud Scythas ista res incognita fuisse videtur, indeque lepida illa Anacharsidis observatio.

Quod ad reliqua Plutarchi supra apposita attinet, operae pretium est ea ipsa explorare quae cum illo Anacharsidis dicto conferuntur. Sophistae, inquit, quemadmodum Anacharsis dicebat, Graecos nummis ad nullam aliam rem uti nisi *πρὸς τὸ ἀριθμεῖν*, ita ipsi *τοὺς λόγους παραριθμοῦσι καὶ παραμετροῦσι*, nullamque aliam ab iis utilitatem percipiunt.

Quae verba Wyttenbachius in Animadv. ad hunc locum ita interpretatur, ut dicat Plutarchus eos componendis chriis et historiis rhetoricam docere et questum facere, *μισθαρνεῖν*, *χρηματίζεσθαι*, quod videtur, inquit, significare illa dictio *παραριθμεῖν τοὺς λόγους:* sed quomodo congruat cum Anacharsidis dicto *παραριθμεῖν καὶ παραμετρεῖν τοὺς λόγους* non apparet. Tum addit vir summus fortasse veram lectionem esse *τοὺς λόγους παραριθμοῦντες καὶ παρα-*

ϱιθμούμενοι, quae sic interpretatur: orationes *suas temere annumerant audientibus et ab his vicissem decipiuntur annumeranda mercede:* tum confirmatur hoc auctoritate Stobaei, apud quem in Ecl. Eth. p. 183 item *παϱαϱιθμεῖν* et *παϱαϱιθμεῖσθαι de fraude* dicuntur.

De his, si a tanto viro dissentire licet, primum hoc animadverti velim, eiusmodi esse Anacharsidis dictum, ut in eo, quod confertur, non requiratur passivum (*παϱαϱιθμούμενοι*): tum concedetur, ut opinor, si *παϱαϱιθμοῦντες* recte dictum sit, eodem modo, simili sententia recte additum esse potuisse *παϱαμετϱοῦντες*, itaque proprie nullam esse rationem, quare scriptura in Plutarcho mutetur. Reliquum est ut quaeramus, quid sit *παϱαϱιθμεῖν* et *παϱαμετϱεῖν τοὺς λόγους*. Non certe est *adnumerare*, sicuti *παϱαμετϱεῖν* apud Plutarchum bis dicitur II. p. 1042. D. et p. 1063. D. Sed debet significatio convenire cum iis quae praecedunt *χϱείας καὶ ἱστοϱίας ἀναλεγόμενοι*. Neque etiam *fraudis* significatio inesse potest, quoniam in Ana-

charsidis dicto nulla huiusmodi sententia est. Simplicissimum mihi esse videtur, ut hoc dixerit Plutarchus, Sophistas illos dum chrias et historias colligunt, repetunt, ita orationum quasi quemdam numerum, magnitudinem, mensuram explere, eaque ita pronunciare aut edere, tamquam hoc unum quaereretur, sed cum nulla cuiusvis utilitate.

Quae in vita Solonis p. 80 in fine leguntur merito cum Diogene Laertio contulerunt viri docti, cuius locum § 11 exploravi. Itaque haec Plutarchea in Solonis ad Anacharsidem responso: *οἴκοι βέλτιόν ἐστι ποιεῖσθαι φιλίας* confirmant ut puto meam in Diogene correctionem. Statim sequuntur haec: *οὕτω δὴ θαυμάσαντα τὴν ἀγχίνοιαν τοῦ ἀνδρὸς τὸν Σόλωνα δέξασθαι φιλοφρόνως καὶ χρόνον τινὰ ἔχειν παρ᾽ αὐτῷ, ἤδη τὰ δημόσια πράττοντι καὶ συνταττομένῳ τοὺς νόμους.* Non dico nunc aptius mihi videri, si legeretur *πράττοντα* et *συνταττόμενον*, siquidem haec participia potius referenda sunt ad indicanda tempora, quam ad

Solonis consilium: sed quod Schaeferus annotavit, alios, pro *σχεῖν* habere *κατασχεῖν* idque sibi placere; ab hoc imprimis dissentio. Nam *σχεῖν* iam inde ab Homero Odyss. *P'* 515 de hospite domi habito dictum est,

> *Τρεῖς γὰρ δή μιν νύκτας ἔχον, τρία δ' ἤματ' ἔρυξα*
> *ἐν κλισίῃ.*

neque aliud est Latinorum *secum habere aliquem.*



IV.

SUIDAS ET SCHOLIA PLATONIS.



Suidae locus de Anacharside in voce in plerisque convenit cum iis quae apud Diogenem Laertium traduntur. Sed inprimis conferendus est cum Scholiasta Platonis ad remp. X. p. 600 A. (p. 194 edit. Schol. Ruhnk.) Veluti in Suida est de anchora et de figuli rota ab Anacharside inventa, in Scholiasta non item, quamquam propter Platonis verba commemorari debuerat: neque enim Plato videtur quidquam aliud intelligere, quum Thaletem Milesium et Anacharsi-

dem Scytham commendet utpote quorum fuerint *εἰς τὰ ἔργα πολλαὶ ἐπίνοιαι καὶ ἐυμήχανοι εἰς τέχνας ἤ τινας ἄλλας πράξεις*. Et veterum famam hanc fuisse, certe de figuli rota, apparet ex Posidonii auctoritate apud Senecam Ep. 90 qui versum etiam Homericum Iliad Σ. 600:

> *ὡς ὅτε τις τρόχον ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν*
> *ἑζόμενος κεραμεὺς πειρήσεται, αἴκε θεῇσιν*

ideo spurium esse volebat; qua de re nihil annotatur in Homeri Scholiis. In Scholiastae Platonici verbis vitium remansisse mihi videtur: dicitur enim: *οὗτος ἐξενώθη ἐν Ἀθήναις Σόλωνι, καὶ ἐπανελθὼν εἰς τὴν Σκυθίαν, ἔθη Ἑλληνικὰ παραδιδάξαι, ἐτοξεύθη ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ:* — in quibus verbum *παραδιδάξαι* primum ideo in suspicionem venit, quoniam tale verbum, quantum scio, ignorat Graeca lingua, tum propter syntaxin. Infinitivus vitiosus est: neque enim eo consilio redibat in patriam ut (*ὡς*) Graecos mores doceret; sed ideo quod eiusmodi instituta exercebat, interfectus est. Suidas dicit, *Ἑλλη-*

νικὰς τελετάς ἐπιτελῶν, expressum ex Herodoteo (IV. 76) *τὴν ὁρτὴν πᾶσαν ἐπετέλεε τῇ θεῷ.* Diogenes Laertius I. 102 *πολὺς ὢν ἐν τῷ ἑλληνίζειν.* Suspicor, quoniam, quod prope accedit, ne *παραδείξας* quidem satis placet, Scholiastam reliquisse *παρεισάξας*, quod melius certe historiae conveniet, quam si quis verbum *παραδιδάσκειν* defendere vellet et explicare ita, ut Anacharsis dicatur Graeca instituta *praeter fas docuisse.*



THESES.



I.

Verba Platonis rep. III. p. 398. *ἄνδρα δέ ὡς ἔοικε* usque ad *ἐπιχειροῦμεν παιδεύειν* ipsum Homerum haud alium respicere contendo.

II.

Minus recte Schoemannus in proeemio Antiquitatum iuris publici Graecorum dicit: illam antiquitatum partem, quae versatur in rebus ad victum cultumque corporis, tuendamque rem familiarem necessariis, *etiamsi* aliquid fortasse

otiosae delectationis, veri tamen ac solidi fructus parum habere.

III.

Egregie vir Cl. Peerlkamp verba Terentii Hecyra I. II. 88. »*ad exemplum ambarum mores earum existimans*" ita explicat *ad vitam ambarum* etc.

IV.

Veterum Graecorum et Latinorum vera imitatio non est ut externa sermonis species, nedum ut opiniones et commenta, sed ut sensus pulchri eorum et in rebus tractandis elegantia, quantum fieri potest, exprimantur.

V.

Haud facimus cum Menagio ultima Anacharsidis dicti verba »*μειρακίον ἐὰν νέος ὢν τὸν οἶνον ὀυ φέρῃς, γέρων γενόμενος ὕδωρ οἴσεις* accipiente de aqua intercute, sic enim foret dictum satis frigidum, quum sit facetissimum.

VI.

In Ciceronis Quaest. Tuscul. lib. I. cap. 20. § 46. verba: »*quae numquam quinque nunciis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur*" ita transponi debent: *quae numquam animus cognosceret, nisi ad eum omnia quinque nunciis referrentur.*

VII.

Antiquis tragoediarum poetis iniuria fit, si argumenta ex heroicis temporibus eo consilio ab iis petita putemus, quo per allegorias suas de praesentibus rebus opiniones proferrent; attamen non minus verum est publicarum rerum conditionem ipsaque tempora quibus scriberent, multum apud eos valuisse in argumentis quum inveniendis tum disponendis.

VIII.

In Herod. lib. I. cap. 56. probanda videtur coniectura *τὰ προκεκριμένα ἔθνεα* pro *τὰ προκεκριμένα ἐόντα.*

IX.

Ibidem lib. V. cap. 69. in fine pro *δέκα δὲ καὶ τοὺς δήμους* ex coniectura Cl. Bakii legendum est *καὶ δὴ καὶ τοὺς δήμους*.

X.

Minus recte agunt ii, qui freti loco Ciceroniano de Nat. Deor lib. I. cap. 38. statuunt antiquos illos ita dictos theologos Amphionem Linum, Orpheum et Musaeum numquam exstitisse: huic enim opinioni totus fere antiquitatis consensus recte opponitur.

XI.

Plaut. Bacch. I. 1. 75. pro:

» Sequere hac igitur me intro in lectum, ut sedes lassitudinem."

legere velim:

» Sequere hac igitur me intro lotum ut sedes lassitudinem."

XII.

Dicta Anacharsidis Scythae quae feruntur quod ad vinum et temulentiam pro non vere ab eo profectis, haberi possunt.

XIII.

Quod Graeci artes gymnasticas magni faciebant, et victores multis honoribus ornabant, hoc mihi humanitatis illorum non *tantum* videtur esse indicium, *quantum* multi putant.

XIV.

Cum sensus hominis tanquam educationis eruditionisque instrumenta consideramus, auditus visui mihi anteponendus videtur.

XV.

Eleganter et vere Cicero, Tusc. Quaest. II. 5. »Ut ager, inquit, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus."

XVI.

In omnibus rebus cum veritas sit colenda, perversum est Cic. dictum. Tusc. Quaest. lib. I. cap. 17., errare malo cum Platone quam cum istis (Pythagoreis) vera sentire.